



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXI. Nisi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

tos sit v. g. ut viginti quatuor sint Canonici, & viginti eorum præbendas haberent. Hoc casu Canonici nuper recepti, non extinguuntur, sed consolidantur, & impletur præbendâ. At verò Canonici Canonici mortui jure præbendæ, veluti evacuata vacat, & alteri conferri solet. Qui discursus tunc maximè locum habet, si præbendæ (seu præbendales redditus) in uno communi cumulo sint suo tempore ab Oecono- mo inter Canonicos dividendæ, ut singulis portio congrua, ac debita obveniat, prout hic Innocent. explicat. n. 5.

## CAPITULUM XX.

Tuz.

## PARAPHRASIS.

Cum non tarò contingeret, ut vacante præbenda propter petentium importunitatem, duo ad eam instituerentur, considerans Innocent. III. si duo eandem præbendam simul obtineant, id adversari Concil. Turonensi præbendarum divisionem prohibenti; sin autem unus solus receptorum, præbendam obtineat, alter autem sub expectatione maneat, hoc Lateranensi Concilio adversari, ideo decernit Papa, talem duorum ad unam vacantem præbendam electionem, seu receptionem, secundum juris rigorem esse cassandam.

## SUMMARIUM.

1. Præbenda vacans non potest duobus simul conferri.
2. Quæ secundum exactam juris determinationem observantur, rigor juris nonnunquam dicuntur.

Notandum primò. Si præbenda vacet, non potest ea duobus simul conferri. Ita etiam habetur in c. dilecto 25. hoc. tit. vel enim ita confertur, ut uterque fructuum portionem percipiat, tunc sectio benefici fieret, quæ prohibita est, nisi fiat præcedente Capituli consensu, imò etiam,

interveniante facto divisionis, ita ut sint duo beneficia distincta, prout Innocent. & alij docent in c. Majoribus 8. hoc. tit. vel ita conferretur, ut unus omnes fructus percipiat, alter verò jus expectativæ habeat, id verò repugnat Concil. Lateran. in c. 2. de concess. præbendæ, ubi tales expectativæ sublatae sunt.

Notandum secundò. Juris rigor interdum appellatur, quod secundum exactam juris determinationem, ac veluti apices ejus, verum est. Eodem modo sumitur in c. super litteris 20. de rescriptis.

## CAPITULUM XXI.

Nisi.

## PARAPHRASIS.

Vacante quodam Prioratu duo electi fuerunt. Hinc orta inter eos controversia, judicibus delegata fuit; in hos partes compromiserunt; judices hi, sive arbitri pro bono pacis statuerunt, ut unus electorum prioratum haberet, alter verò 20. libras annuatim ex Capituli redditibus, & 40. ex proventus prioratus perciperet. Hoc intellecto, scribit Innocent. III. quòd hanc compositionem suspectam haberet, nisi viri providi & honesti essent tam ij, qui ita ordinarunt, quam ij, circa quos ordinatio facta est; quare ita Papa discurrit, quòd uni electorum post longam disceptationem prioratus assignatus sit, id ex jurisdictione delegata secundum justitiam, statutum videtur. Quòd verò alteri tot libræ ex Capituli, & Prioratus redditibus, assignatae fuerint, id ex arbitraria potestate præceptum videri debere, cum judices delegati, in quos partes compromiserunt, retenta jurisdictione delegatâ, id pro bono pacis, & utilitatis se ordinasse profiteantur. Quia igitur ordinatio ista ab omnibus recepta est, atque Prior & Capitulum licitè possunt ob causas dictas provisionem illam librarum, non quidem ex partium pactione, sed ex judicium arbitrorum

bitorum dispositione, præstare; ideo illam permittit Papa cum hac moderatione, ut ad præstationem librarum 40. non dignitas prioratus obligata sit, sed persona prioris, ne alioquin in proventibus prioratus sectio aliqua contingat, & ita Priore isto defuncto Successor ejus, ad quadraginta libras non tenebitur.

## SUMMARIUM.

- i. In dubio, num aliquid legitime factum fuerit, propter honestatem ac prudentiam persona agentis quandoque præsumptio fieri potest, pro honestate & justitia actus.
- ii. In Judicem delegatum compromitti potest, tanquam in amicabilem compositionem, ut judicariam potestatem non deponat.
- iii. Potest Judex delegatus, si duo coram eo litigent, super beneficio, pro bono pacis uni adjudicare beneficium, ita tamen, ut alteri danda pensione gravetur.

**N**otandum primò. In dubio, num aliquid justè, ac legitime actum fuerit, propter honestatem ac prudentiam persona agentis, quandoque præsumptio fieri potest de justitia actus. Ita *Gl. hic, argum. c. ult. causa. 9. q. 2.* exempla dat *Abb. hic. n. 3.* quòd citatio, tametsi injustitiam præferat, si tamen aliqua ratione justificari possit, justa interdum præsumi possit, si judex providus, ac circumspexus in citando esse soleat. Item si Clericus afferat formatas, ex quibus constet, eum esse ordinatum Sacerdotem, præsumptio fieri potest de inferioribus Ordinibus legitime acceptis, si credibile sit, quòd dans formatas pro consuetudine sua providentia Clericum non ordinasset sacerdotem, nisi prius facta inquisitione de prioribus Ordinibus, secundum *Innocent. in c. 1. n. 3. de Clericis peregrinis.* Denique quòd solennitas extrinseca intervenerit, v. g. capituli consensus, præsumptio inter-

dum fieri potest, ex probitate, aut peritiam persona exercentis actum.

Notandum secundò. In judicem delegatum compromitti potest tanquam in amicabilem compositionem, & ita quidem, ut judicariam potestatem non deponat, sed utraq; uti possit: quare quòd secundum juris terminos decreverit, id ex judicaria potestate orietur; quòd verò præter & contra juris terminos, pro bono pacis & concordia ordinaverit, id tanquam arbitrator ex vi compromissi voluisse putandus est. Ita *Abb. hic. n. 5.* & videri potest textus & *Gl. in authentica, ut differentes judices, &c.*

Notandum tertio. Si duo litigent super beneficio coram judice delegato, potest is ex partium consensu, aut compromisso pro bono pacis, & concordia, atque ut à lite recedatur, partem, cui beneficium adjudicatur, pensione gravare, solvendâ alteri parti. Verum tale onus pensionis personale esse debet, & non impositum beneficio ipsi. Ut hic dicitur & in *c. de catero §. de transactionibus*, ubi id docui *nota n. 2.* Ratio dari debet, quia si beneficio tale onus imponatur, id cedit in præjudicium collatoris, videlicet Episcopi, quare cum ejus consensu, aut si ipsemet Episcopus, seu Ordinarius pensionis designationem, pro bono pacis decernat, etiam beneficium imponi poterit, ita ut obligatio ad Successorem transeat, sed non ultra vitam pensionarij, id est ejus, cui pensio datur, prout docui *lib. 4. tract. 2. c. 18. n. 3.*

CAPITULUM XXII.  
Pro illorum.

## PARAPHRASIS.

Innocent. III. mandaverat Burdegalensi Archiepiscopo, ut Magistro P. in aliqua sua Ecclesia, ubi expedire videretur, competens beneficium conferri curaret, contradictores Ecclesiasticâ censurâ compescens; is Decano, & Capitulo Santonenfi